



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamen Illustrissimi ac Reverendissimi P. Mag. Fr.
Gabrielis Adarzo de Santander, Episcopi Viglevanensis,
Ad Interrogata respondens Circa Exclusivam, quandoque
à Principibus interpositam, ne ...**

Adarzo, Gabriel

Francofurti, 1660

[§. VIII.] Qui eam excipit, tenetur ei favere. Objectiones solutae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10517

me Principes ; bella nutrit magno cum dispendio
Ecclesiæ, ac meo. Oro vos, ne agatis de eo inthroni-
zando, ne mala, malè fota, crescant. Vel poterit
Princeps dicere Patribus Electoribus: Oppono Cajo,
ex motu proprio & ex certa scientia tale crimen (de-
signando illud) contra pacem publicam commis-
sum: & simul vobis expono, quòd si inthroniza-
bitur, Ecclesiæ quies omninò exulabit, & cuncta
ejus in deterius vergent &c. Unde nil refert, quòd
his vel illis verbis Exclusiva formetur, dummodò
sit proposita ex causa gravi, & à Principe benè nota,
nam in negotijs hujus generis, materiæ momenta,
non verborum artificia sunt attendenda, & æsti-
manda.

S. VIII.

*Qui excipit Exclusivam, tenetur ei favere.
Objectiones ponuntur & solvuntur.*

41 **D**ico quintò: Sacer & Eminentissimus Elector,
qui Exclusivam à Principe ex motu proprio, &
ex certa scientia datam semel excepit, tenetur ei fa-
vere suffragio suo: Hæc conclusio deducitur ex di-
ctis tota Sectione: nam ad eam probandam cuncta
conspirant, quæ breviter sic resumo.

Emi-

Eminentissimi Electores debent eligere meliorem: melioritas autem est respectiva ad præsentem utilitatem Ecclesiæ: & ut sæpè monui, supponuntur Electores ignorare, quòd Cajus, v. g. careat, vel scateat vitijs vel qualitatibus nocivis hîc & nunc bono publico Universalis Ecclesiæ, & consequenter nesciunt, utrùm sit dignior, vel indignus hîc & nunc eligi in Caput Ecclesiæ: Et ex aliâ parte Princeps, qui dat Exclusivam, cùm sit peritus in arte belli & pacis, est plenè instructus de indignitate Caji præsentis. Ergo Sacri Electores tenentur fovere Exclusivam (quam à Principe exceperunt) dictamen ejus amplectendo, casu quò ex certâ scientiâ & ex proprio motu detur; & consequenter fovere Exclusivam & stare pro illa suffragio suo: Patet consequentia, nam alias reputabuntur velle eligere cæciter, aut hîc & nunc indignum & Everforem Ecclesiæ. Revideantur suprâ dicta.

*Objicitur Exclusivæ, quòd Princeps sit
Testis singularis.*

Sed contra hanc conclusionem objicies primò: ⁴²
Squi dat Exclusivam de Cajo, est Testis singularis
de ejus indignitate: atqui secundum jura, testis singu-
laris